

NUMMUS TYMEUS
EFFIGIEM REFERENS SEBASTIA-
NI SCHERTLINI A BURTENBACH,
Equitis aurati; Cufus Anno
Christi 1532.



DE Heroica, Sebastiani Schertlini, fortissimi bellatoris virtute afferri in medium hoc loco multa possent. Emicuit illa syderis lucidissimi instar in Geldrica, Cæsaris, Picardica, Valentinenſi expeditionibus: pugnâ ad Noveriam atque Ticinum: motu Rusticorum: Mediolani obſidione: expugnatione Romæ ac Narniæ: alibi. Inprimis verò eo tempore, quo Solymannus Turcarum Imper. ingentibus viribus Viennam appropinquaret, re tamen minus ex ſententiâ ſuccedente, fugam turpiter arriperet, relictis poſt ſe viginti millibus levis armaturæ equitibus, qui prædam ex chriſtianis agerent, ferro & igni finitima quæque vaſtarent. Schertlinus à Baviaræ Principibus, Republica Auguſtana, & aliis conſœderatis Sueviæ & imperij civitatibus conductus, cum aliquot equitum & peſttrium turmis in Ungariam contendit. Ubi à Friderico Palatino Rheni Electore, Imperialis Exercitus ſummò Duce, omnium peſttrium copiarum Tribunus cum ſumma poteſtate conſtituitur. Quo officio ita viriliter audacterque functus eſt, ut Turcarum exercitum in Sylva quadam depræhenſum parvâ ſuorum manu proſtraverit. Unde factum, ut à Rege Ferdinando, cum prædicto Friderico Palatino Viennam accerſitus, præſentibus aliis Principibus & Proceribus, cum eodem Palatino ſecundâ vice Eques auratus creatus, & regiâ remuneratione cumulatus fuerit.

Schrenckius à Nozingen.